

2

REGI
OB DELECTUM REGIÆ URBI NOVUM PRÆSULEM SOLENNIS GRATIARUM ACTIO.




HABITA
In Collegio LUDOVICI MAGNI
A GABRIELE FRANCISCO LE JAY,
Societatis JESU *Sacerdote.*



PARISIIS,
Apud Viduam SIMONIS BENARD, viâ Jacobæâ, è regione Collegii Soc. JESU.

M. DC. XCVI.



BIBLIOTECA
ROMA
VITTORIO EMANUELE




N. Pitau Sculp.

Spirat in hoc vultu pietas, candorque fidesque;
Spirat et ingenuus Relligionis amor.
Plura latent: etenim magnæ coelestia mentis
Quis satis ad vivum pingere dona queat?

a Paris chez Mariette rue S. Jacques aux Colonnes d'Hercules





ILLUSTRISSIMO

ECCLESIÆ PRINCIPI

LUDOVICO ANTONIO

NOALLIO

ARCHIEPISCOPO PARISIENSI

DUCI AC PARI FRANCIÆ.



UOD agentibus nobis solennes Regi Christianissimo gratias, ob delectum Te Regiæ Urbis Antistitem, tua Consessum amplissi-

mum præſentia ornaveris ; id honori, ut par eſt, ſummo duximus, ECCLESIÆ PRINCEPS ILLUSTRISSIME. *Quod ſtudium & alacritatem Academiæ noſtræ, quæ Te feſto plauſu primùm ſubeuntem excipiebat, tam prolixè amanterque probaveris ; gratiæ cumulum adjeciſti. Quod in Oratorem ipſum partem laudis aliquam derivaris ; hoc mihi præter expectationem ac meritum tua ſingularis humanitas indulſit.*

Tamen in tam justa gratulandi causa, unum liceat expostulare tecum, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, quod me in pingendo parum fidelem esse prædicaveris: quasi minus veram imaginem Tui expressissem.

Nihil ego jam vereor vel a tuo ipsius judicio ad publicum provocare: cum intelligam futurum neminem, qui tibi ita sentienti de te ipso assentiatur.

Equidem hoc mihi non ausim

arrogare, ut Orator bonus, quod amicè gratulatus es, videri possim: at hoc profectò gloriari non dubitem; bonum me, quod modestè negasti, Pictorem omnium suffragiis extitisse.

Amplitudini Tuæ,

Addictissimus
GABRIEL FRANCISCUS LE JAY
S. J.



REGI
OB DELECTUM
REGIÆ URBI
NOVUM PRÆSULEM
SOLENNIS
GRATIARUM ACTIO.


UOD uſurpavit aliquando ſapientiſſimus ætatis ſuæ Caſſiodorus, *Magni Principis ad ſummam dignitatem Electio magna commendatio eſt*, id hodie ad ſingularem Novi Præſulis laudem ſufficere unum vide-

retur, ILLUSTRISSIMI ECCLESIÆ PRINCIPES, VIRI omnium Ordinum ORNATISSIMI.

Verum etſi plerumque non verè minus quàm magnificè pronuntiatum illud fuerit; tamen non deſunt ſeverioris cujuſdam cenſuræ viri; qui magis ad Aulicæ adulationis leges, quàm ad veritatis normam id exactum putent. Si qua enim ejuſmodi cenſoribus fides, e tanto Principum numero, quàm paucos anteactis retro ſæculis reperias, vel quorum in conferendis honoribus judicium cunctis probaretur omnino, vel quos

ſui judicii & Electionis aliquando non pœnituerit.

Nam quantumvis oculi Principum perſpicaces dicantur eſſe ac lyncei; multos nihilominus videre eſt, qui, aut ementitæ virtutis larvâ imponant perſpicaciæ Principum, aut priſtinæ virtutis obliti, excitatam primò de ſe opinionem fallant.

Grates enimverò Tibi, Deus immortalis, cujus beneficio factum eſt, ut in hodierno Præſulis noſtri delectu, nihil ejuſmodi quiſquam vereri poſſit: quidquid ad Electionis commendationem poteſt accedere, in hac certè, ſi un-

quam alias, totum occurrit: sic enim Principum sagacissimus in deligendo Nobis Antistite Sapientiæ comitem adjunxit Felicitatem; talem ut Virum nobis elegerit, qui placeret omnibus, & qui placiturus in omne tempus meritò speraretur.

Quantumvis autem magna promittat ejusmodi Oratio; non alios velim, quàm vos ipsos, aut judices, aut arbitros, Auditores æquissimi. Quis enim ex hoc cœtu celeberrimo, ex hac amplissima Civitate, totoque adeo Regno, cui communis veluti patria Lutetia est, dignissi-

mum ſapientiſſimi Regis Electione NOALLIUM non dixit? Quis in tanta tam unanimiter plaudentium multitudine, fortunatiſſimam Paſtore NOALLIO Urbem hanc fore, communi quodam afflatus ſpiritu non prædicavit?

Erumpat igitur digna ſinceris Populorum gaudiis, digna Principis providentia, digna Præſulis virtute Gratiarum Actio. Gratulemur inventum a nobis dicendi argumentum, in quo remoto aſſentationis metu, liceat Eloquentiæ magna prædicare.

At quanquam populorum

opinioni respondere fortasse possem; vereor, ut Societatis præsertim Nostræ votis respondeam: possimque fidelis interpres satis exprimere; quam imis defixa sensibus hæreat beneficiorum a Te, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, jam pridem acceptorum memoria.

Me certè felicem unum inter cœteros; cui profiteri liceat ex hoc loco singularem observantiam illam; quam spectata propius virtutum tuarum vestigia animo impressere: quam & altissimo pectori insevit Ille, quem tu olim, non tam successorem,

quàm ſincerum tui admiratorem & æmulatorem ſtudioſum habuiſti.

Tamen tot inter incitamenta dicendi, ſi parem argumento, ſi parem expectationi veſtræ Orationem non afferam; ſupplebit, quæ defuerint, veſtra de tanto Præſule opinio, & quod Eloquentia non poteſt, Auditorum animus aſſequetur.

In una NOALLII Antiſtitis Electione, geminum a Rege Chriſtianiſſimo beneficium accepimus, AUDITORES.

Poſt ereptum nobis immaturo & acerbo funere

FRANCISCUM HARLÆUM; quem tota tam diu mirata eſt Gallia: quem Clerus Gallicanus toties ſuſpexit; cujus Sapientiam, Eruditionem, Majeſtatem ſumma Lenitate temperatam amavit ſemper hæc Civitas & coluit. Paſtorem expectamus qui reſarciret quam feceramus jacturam, & noſtra omnium vota cumularet. Eum delegit nobis Rex Chriſtianiſſimus, quo nec optari, nec eligi a nobis gratior aut acceptior potuiſſet: hoc primum. Paſtorem deſiderabamus, cujus felicibus initiis totus integerrimæ vitæ curſus deinceps reſponderet. Eum

delegit nobis qui talis meritò ſperaretur futurus in perpetuum, qualem eſſe jam gratulamur: hoc alterum. Quæ duo capita, dum præſentis temporis lætitiam, ac futuri ſpem complectuntur; ampliſſimam, & gratias agendi Regi Chriſtianiſſimo, & nobis gratulandi materiem ſufficiunt.

Ac primò quidem; quis Præſul acceptior populo, quis hoc gradu dignior videri poterat, quàm ille; qui magno Nomini parem Virtutis Famam afferebat? Quod utrumque apud gentem Gallicam, æquiſſimam, ſi qua eſt I. PARS.

alia, virtutis judicem atque æſtimatricem, indubitatam ſibi approbationem aut vindicat; aut extorquet.

Nomen magnum cum dico, Nomen illud, credo, intelligitis, AUDITORES, quod non ſola tantùm generis claritas, honorum amplitudo & rerum domi foriſque geſtarum gloria; ſed longè magis ſincerum Religionis ſtudium, devota rei patriæ caritas, & perpetua quædam atque incorrupta fides in Principem nobilitant. Neque enim Urbs illa, quæ ſingularis in Religionem animi, pietatis in rem Gallicam & illuſtrioris in Regem

gem obſervantiæ toti Regno prælucet, aliud in electo Præſule nomen ambire poterat; niſi quod dotes illas in ſe omnes, nativo quaſi in ſpeculo, ad vivum repræſentaret.

Hanc porro laudem ſic ab omni memoria veluti mancipatam habet NOALLII nomen, ut qui NOALLIOS appellarit, eoſdem, & aviti cultûs amantes, & ſtudioſos rei Gallicæ, & perſonæ Regiæ ab omni ævo conſtanter addictos prærogativa quadam ſingulari nuncuparit.

Nolite hîc expectare, AUTORES, ut inclytæ Gentis primordia ex illa repetam cali-

gine temporum ; in quibus quàm facile eſt, & ſine rivali ſibi majores fingere ad arbitrium, tam rarò ementitæ ad faſtum proſapiæ ſuſpicionem licet declinare. Non eget figmentis ejuſmodi nobilitata tam fidelibus ſex omnino ſæculorum monumentis Noallici nominis dignitas ; quam nec ulla erroris umbra obſcuravit unquam ; nec mala deficientis obſequii contagia infecere.

Atque utinam illorum temporum obliterare memoriam liceret; cum fatali quadam rerum neceſſitate, Nobilitatis totius pars major & melior,

alii Novitatis capti illecebris ab avita Religione descisce-rent; alii Religionis ipsius & falsis communis boni nominibus illusi etiam in pretio ponerent Rebellionis partes amplecti! Tot inter Religionis & rei Gallicæ naufragia, stetistis inconcussi Noalidæ; ingens non ætati modo vestræ, sed futuris etiam temporibus documentum; tam altis subditorum animis insitum Religionis, Patriæ, Principis amorem esse oportere; ut nulla conversione temporum, nulla bellorum tempestate, nulla pactione fœderum debeat unquam violari!

Quin hîc mihi licet per angustias temporis præclaros illos Heroas, tot gentis Noallicæ lumina, coram sistere! Vel hoc unum satis superque foret, ad demonstrandam Regis prudentissimi in deligendo nobis Antistite sapientiam; qui Avorum testatam fidem, ac summa in Reges nostros ac Regnum merita pergit in Nepote dignissimo munerari!

Dicerem HUGONEM Noallium; qui Christianam maluit cum sanctissimo & fortissimo Rege Ludovico profiteri militiam, quàm nefariis vicinorum in Marchia Lemovicensi

Comitum factionibus præesse. Memorarem JOANNEM Noallium, qui difficillimo in bello Ludovicum Undecimum secutus, ipso in conspectu Principis, capitis, ac sanguinis dispendio victoriam redemit. Adjungerem ANTONIUM Noallium, quem Franciscus Primus spectatæ jam diu probitatis & consummatæ sapientiæ Virum expertus, gravissimis de rebus Oratorem misit: rei Maritimæ præfecit Ducem: Henricus Secundus Liberis suis moderatorem delegit.

Non omitterem FRANCISCUM Noallium Episcopum

Aquensem; quem in Veneta, Anglicana, ac Byzantina demum legatione, tam gloriosè versatum esse Annales nostri meminerunt: cujus Ingenio, Dexteritati, Constantiæ, Fidei suam debuit apud Ottomanos amplificationem Religio, Res Gallica Authoritatem, Henricus ipse Tertius Gallorum & Polonorum Rex, Polonicam Coronam. Felix hac sorte FRANCISCUS, qui ÆGIDIUM Præsulem tanto in opere consiliorum adjutorem habuit, & in Legatione tam Christiana fraternæ virtutis successorem!

Atenim cur se mihi rur-

ſum objiciunt funeſta tempora, fæcunda errorum turbarumque tempora; in quibus Errori Ambitio, Ambitioni Impietas, Impietati ſcelera omnia ſuffragabantur? Tunc cum vix reperire eſſet, qui debitam Deo, debitam Regi fidem præſtare aut poſſet, aut vellet; Te, FRANCISCE Noalli, intueor perduellium furores fidei tuæ; & corporis etiam oppoſitu intercludentem. Hîc conflatum ex deſertoribus impiis nûmeroſiſſimum exercitum viriliter reprimis, fugas ac frangis: illîc aditu Montis Albâni prohibes: alibi triſtes fugientium

reliquias Milialdum usque, ac Divi Antonini oppidum persecutus, spes impias ex longo conceptas intercidis!

Laudastis Galli & stupuistis paternam in tribus liberis, HENRICO, ANTONIO, CAROLO fortitudinem; qui jubente Ludovico Justo cum iisdem congressi Rebellibus, suo ipsorum sanguine Religionem, Pietatem, Fidem consignarunt.

At quo me properantem rapit ac suaviter detinet ANNAS Noallius, quartus ex ejusdem FRANCISCI liberis, & de tot fratribus superstes unus: cui ancipites armorum

casus visi sunt pepercisse, ut ad difficiliora reservatus tempora, suis Annam Austriacam, quæ tunc Imperii habenas moderabatur, consiliis adjuvaret; & LUDOVICO adhuc juniori illustre sinceri obsequii specimen exhiberet?

In his porro difficillimis rerum adjunctis; cum lucidissima hujus Imperii sydera pœne deficerent: cum firmissima rei Gallicæ columina nutarent partim, partim luctuoso emota fato collaberentur: quàm egregius, AUDITORES, at quàm lubricus extitit bonis omnibus locus præstandi

intemeratam Regi fidem! Præſtitit ANNAS Noallius: & ita præſtitit; ut perenne constantis obſequii monimentum poſteritati relinqueret.

Neque vero impenſi tam ſedulò laboris fructum levem conſecutus eſt: cum ad reliquos, quibus jam præfulgebat, honores acceſſerit delata Regiæ Cuſtodiæ præfectura, Ducis ac Paris Galliarum amplitudo, Torquatæ utriuſque Militiæ dignitas, & primum, quod pari cum laude geſſit, in re militari imperium.

Quid demum ad plenam tanti Viri commendationem

pertinebat; nisi ut, quod ait Velleius, visum olim in Metello, tanquam felicitatis summæ cumulum, qui *post honores amplissimos & principale in Republica fastigium, extentumque vitæ spatium, quatuor filios sustulit, omnes adultæ ætatis vidit, omnes reliquit superstites & honoratissimos*; id quoque multo etiam felicius ANNÆ Noallio contingeret? *Lib. 1. Hist.*

Testes mihi sunt, AUDITORES, Fratres illi quinque Illustrissimi, quos tota suspicit Gallia; omnes amplissimis fulgentes honoribus, omnes paternis avitisque virtutibus simillimi; &, quod Noallicæ gentis est

quaſi proprium, omnes devotiſſimæ in Regem charitatis æmulatores.

Teſtis MARESCHALLUS Dux Noallius: quem, tametſi navata feliciter rei Gallicæ diligens opera, ſumma munerum amplitudo, relatæ multiplices Laureæ, & domita repetitis cladibus Catalaunia immortali poſteritatis memoriæ conſecrant; hoc tamen præ cæteris videtur commendare: quod apud ſagaciſſimum, ſapientiſſimum, æquiſſimumque Principem, gratioſus inter multos, inter paucos carus, pœne dixerim, ſi ſic loqui fas eſt, amicus habeatur.

Teſtis NOALLIUS, Melitenſes inter Equites nobiliſſimi animi ſpecimen: qui Legati Generalis apud Triremes munere, multos jam annos ita fungitur; ut militiæ genus odioſum naturâ atque aſperum, lenitate ſua afflictis tolerabile efficiat.

Teſtis MARCHIO Noallius, ſuis etiam in re militari muneribus clariſſimus; quem a fraterna virtute non degenerem, Catalaunia nuper ſatis experta eſt.

Teſtis Noallius ABBAS digniſſimus Alti Fontis; qui in pietatis quaſi caſtris, eandem, atque fratres in re bellica

laudem eſt conſecutus.

Teſtis denique ILLUSTRISSIMUS PRÆSUL Ludovicus Antonius Noallius; quem, ſi conceſſum ſibi Antiſtitem gratulatur univerſus populus, quia magnum præ ſe fert nomen, eundem multo lubentius amat; quia Nomini magno hæreditaria Fama Virtuſque reſpondet.

Dicamus enim verò quod res eſt; in hoc apice dignitatis, parum juvaret ad commendationem magnum nomen attuliſſe, niſi illud pari virtutis Fama illuſtraretur.

At qualis illa Fama eſt, AUDITORES, qua veluti circum-

ſeptus Illuſtriſſimus Præſul ad nos acceſſit? Cogitate perennem & conſtantem Famam; non variam, non mutabilem, non interruptam ulla viciſſitudine aut temporum, aut locorum, aut officiorum; quæ tam ſana atque integra fuerit in ipſo flore juventutis, quam in matura jam ætate conſpicitur; tam bene comparata cenſorios contra Aulæ ſagacioris oculos, quàm diſſitis poſtmodum in regionibus intacta; tam mirabilis olim in quotidianis vitæ communis exercitationibus, quàm inter ipſos Apoſtolici muneris labores prædicanda. Fa-

mam intelligite non dubiam; ſed probatam; non ambiguam, ſed confeſſam; quam neque pia ac benigna populorum excuſet ac fulciat interpretatio; neque vis authoritatis ac reverentiæ diſſimulet ac tutetur: Famam denique, ut uno verbo complectar omnia, exiſtimate; quam ipſa Veritatis Æquitatiſque regula Summus Pontifex Chriſtique Vicarius, tam ſingulari nuper Elogio prædicandam judicavit.

Sed quid ego vos moror, Auditores? Jam mentem meam præſenſiſtis, jam prævidiſtis quid velim, jam di-

centem occupaſtis. Neque Tu verò, Regum ſapientiſſime, cum Paſtorem nobis Noallium eligebas, quia viſus ille tibi omnium optimus quem eligeres, populi conſenſum prævenisti. Non tuum unius judicium illud fuit, ſed omnium: jam erat ille nobis in votis, cum tu illum Nobis deſtinabas: tu tantum jure Principis antevertiſti, primuſque feciſti, quod omnes facturi erant, ſi liberam populis tuis eligendi moram permiſiſſes.

Nam quem e nobis non perculerat Virtutum illarum fama, quæ hodie tantum in

electo Præsule non placerent, nisi jam placuissent, antequam eligeretur. Jam erat pervulgata opinio illius probitatis, quam felix inchoavit indoles, felicior educatio perfecit: promovente sedulâ piæ Parentis sollicitudine: quæ nunc laboris sui fructum hunc habet; ut in filio virtutes partim æmuletur, partim ad publicam utilitatem succrevisse gaudeat, quas olim insevit ipsa & excoluit.

Jam pervaserat animos omnium spectatæ toties prudentiæ laus; quæ non tam annorum accessione parta est; quàm admirabili quodam ro-

bore ingenii, & in regendis componendiſque motibus animi accurata ſedulitate.

Quàm multis porro, quàm illuſtribus ſpectatum monumentis novimus ſtudium tuendæ, promovendæ, amplificandæ Religionis? Utinam hîc adeſſent Orationi meæ ſuffragatores; quotquot tam e Cadurcis quàm e Catalaunis, partim rationum momentis convictos, partim permotos exemplo vitæ ſanctioris, partim lenitate ac munificentia mitigatos, ab errorum caligine, ad avitæ ſinceræque fidei lumen traduxit! Atque ut abſint illi ac ſileant: clamant

ſatis ac loquuntur, tot exhantlati pro pietatis incremento labores, tot ſollicitudines Paſtoralis curæ, tot inſtitutæ prudenter pro aſſerenda ſanctiore diſciplina leges.

Vigebit ad perpetuam rei memoriam; & in tuis, Catalaunum, faſtis æternùm legetur editum nuper ab eo Decretum illud ſapientiſſimum; quo naſcentem, aut potius interpolatam ex Beguardorum erroribus & Fanaticorum ſomniis veſaniam, tam ſcienter quàm tempeſtivè profligavit.

Ecquis eſt, qui neſciat, ut liberalis, ut magnificus, ut

profuſus in Egenos; quorum inopiæ ſic in toto Catalaunenſi tractu providit; ut annonæ caritatem & difficultatem temporum, niſi ex largiori munificentia ſui Præſulis non ſentirent?

Sed eſto ſane: reperiantur per me licet, qui liberalitatem & munificentiam in ærumnoſos tandiu præ ſe ferant; quandiu id ſolo nummorum diſpendio præſtabitur. At quotuſquiſque tandem eſt, qui vel ſui capitis, valetudinis, vitæ periculo, alienam ſublevare inopiam & calamitatem non dubitet? Hoc enim in te mirati paucos ante annos ſumus,

PRÆSUL ILLUSTRISSIME.

Patere quæſo, ut vim hodie modeſtiæ tuæ pauliſper adhibeam: da mihi hanc veniam, ut percuncter & exquiram a te, quis animi tui ſenſus foret; cum in tenebricoſum non ſemel carcerem, in Noſocomia tetris infeſta morbis ingreſſus, ſacrum caput præſenti periculo tam conſtanter objiceres? Nihilne te amicorum preces, nihil obteſtatio familiarium, nihil exempla tot hominum, quos importuna vis mali quotidie de medio tollebat: nihil ille, qui lateri tuo hærebat, Sacerdos, & quem lethi-

ſera loci peſtilentis aura afflatum in oculis pœne tuis oppreſſerat: nihil tua ipſius valetudo graviter tentata, & in ſummum magno bonorum omnium mœrore adducta diſcrimen; nihil te, inquam, iſtæc omnia deterrebant? Nihil ut modum tam inuſitatæ pietati poneres: ut vicariam aliorum operam ſubſtitueres; ut vitam Religioni, ac tuorum ſaluti reſervares, admonebant? Videbas hæc omnia profectò & ſentiebas: vicit ardor inauditæ pietatis; &, ut alienæ incolumitatis curam tuæ ipſius vitæ anteferres, perſuaſit.

Quid aliud, AUDITORES, Borromæos, Auguſtinos, Ambroſios olim apud populos tantopere commendavit? Quid eorum hodieque memoriam nobis tam verendam exhibet?

Nos verò Superis immortalem gratiam habeamus; qui melius Illuſtriſſimo Præſuli noſtrâ causâ conſuluerunt, quàm ipſe ſibi: qui nobis illum, cum ſui videretur oblitus, ſervare voluerunt.

Teſtes vos appello, Catalaunenſes, quibus tantam inſperata ſalus lætitiam attulit; quantum vulgatus falsò de il-

lius

lius immatura morte rumor dolorem attulerat. Quis tunc vos non putavit ex aliqua veluti calamitate communi recreatos? Fervebant Templa vocibus gratulantium: onerabantur Aræ precantium votis. Videres alios caput ſuum pro capite ac vita Præſulis amantiſſimi devovere: alios obſidere fores palatii, ut vivum intuerentur, quem exanimum defleverant: omnes ſibi plaudere: gratulari omnes: & quaſi publica ſalus diu multumque periclitata jam demum in tuto eſſet, incredibili animorum ſenſu exultare!

Pervaſit iſta Galliam omnem lætitia: Aulam ipſam, ac religioſi Principis aures implevit: qui, quaſi jam futuri conſcius, ſervatum, quem olim eligeret Urbi cariſſimæ Præſulem lætabatur.

Sentio, AUDITORES, quàm multa prætermittam; partim quia ſermonibus jam omnibus celebrata; partim quia ipſius pudor fines mihi anguſtiſſimos dicendi præſcripſit. Quæ tamen quàm prædicare mihi pulchrum, quàm audire vobis gratum foret! Hoc laborarem unum; ut modum atque exitum orationi invenirem: quas virtutes ac dotes

egregias quibus præferrem.

An vigilantiam, qua omnes impoſiti muneris vices ita diligenter obit; nihil ut ejus ſagacitatem, & intentam in omnes partem aciem fugiat? An diſciplinæ atque ordinis retinendi incredibile ſtudium; quo priſcarum legum ſeveritatem ſuaviſſimè temperatam moribus accommodat? An doctrinæ copiam & ubertatem, ſinceritatem ac nitorem, ſublimitatem & amplitudinem; quam ingenio comparavit, labore multo auxit, exercitatione perpolivit.

Multum tibi debemus, fateor, PRÆSUL ILLUSTRISSIME,

quod hunc locum ornare præsentia tua non gravatus fueris: sed ignosce, quæso, si dicam: pœne me præsentiæ tuæ piget: pœne, quod adsis doleo. Quàm multa, si abesses procul, proferrem liberius; quæ, ne dicam, auribus tuis ac modestiæ tuæ dabo.

Subirem interiora domus tuæ penetralia; ibi reducerem ea vela, quibus tua se pietas involvit; dum probus esse, quàm videri mavis. Transferrem eorum, qui me dicentem de te tanta suavitate audiunt, oculos & animos in eam templi partem: ubi te sacris altaribus divina quotidie litantem hostia

ſpectator admiratur populus. Illic verba facientem pro ſuggeſtu oſtenderem, nec inani verborum ſono vacuas mulcentem aures, ſed ſolida veritate animos percellentem. Non præterirem illam familiaris rei parſimoniam; quæ domeſtico ſumptui, menſæ, ſupellectili non aliam ob cauſam imponit modum, quàm ut beneficientiæ plus & liberalitati ſuppetat.

Et erit poſtea cuipiam dubitandi locus; quin, cum Rex eum nobis deligeret, hoc digniſſimus apice videretur; quem tot ac tantæ dotes populo gratiſſimum acceptiſſimumque facerent.

Sed placuisse satis non est; neque illam cumulatam virtutem dixero; cujus eadem in posterum tempus retinendæ spes non sit. Parum esset talem hactenus fuisse Noalium ut vidistis; nisi talem quoque futurum certa expectatione præcipere liceret.

II. PARS. FOrtunatos enim vero Principes: si, quos elegere ad magnam aliquam dignitatem, ii se deinceps præstarent tales, ut sustinerent habitam de se opinionem, & cohonestare gradum amplitudinis, ad quem evecti sunt, laborarent. Sed quantamcumque

in deligendo prudentiam adhibeant Viri Principes, facere tamen non poſſunt; quin ipſorum judicium multi poſtea refellant; dum pares animos ad tuendam Electionem ſuam non afferunt.

Atque hinc nova ſurgit & amplior materies referendi gratias Optimo Principi; quod eum nobis Paſtorem delegerit; quo jam frui, tanquam recenti beneficio gaudemus; & quem perpetui inſtar beneficii nos deinceps habituros eſſe meritò confidimus.

Faceſſant, Oratores dicam, an ſplendidi præſtigiatores?

qui ex horâ natali & arcano ſyderum concurſu, fatalibuſque numeris ac momentis Principum vitam, & res ab ipſis olim, cum adoleverint, gerendas prædicere geſtiunt: vel qui ex Avorum gloriâ virtutem Nepotum augurantur. Alia ſe nobis offert ratio felicioris ac certioris augurii; unde veriſſimis indiciis, quid in poſterum ſperare debeamus, præſumere liceat. Quid iſtuc tandem augurii eſt, Auditores? Vita Noallii: hîc inſpiciamus fiduciæ noſtræ veluti omina: & quem in varia conditione rerum, locorum ac temporum talem novimus

vimus extitisse, qualis ac quantus deinceps futurus sit, cognoscamus.

Equidem fateor, AUDITORES, spissum esse arduumque negotium tenere scienter, ac sapienter moderari sacrum civitatis hujusce gubernaculum: scio decurrendum esse immensum quoddam veluti pelagus; in quo metuendi scopuli sese offerant, periculosæ syrtes declinandæ. Tamen id ego confirmare non dubitem, neminem ad eos scopulos declinandos, ad eas difficultates superandas paratiorem excogitari posse: nullum a summis dotibus, quæ ad eam rem neces-

ſariæ ſunt inſtructiorem acceſ-ſiſſe, quàm NOALLIUM.

Ac primum quidem ne ſpectemus jam ea parte Pariſienſis Eccleſiæ regimen, quâ ſplendidum quid oſtentat ac magnificum: avertamus oculos ab ea pompa, quam collecta, veluti civitatem in unam, Regni totius nobilitas efficit: omittamus magnas illas majoriſque momenti res, quæ ſi laboris habent plurimum, magnam etiam afferunt moderatori dignitatem.

At cogitemus in hac urbe tam læta, tam florente, tam regia: in illo locupletum ac beatorum hominum numero,

non deesse complures, id quod in conferta multitudine, & tam populosa civitate fieri est necesse, inopes, ærumnosos, rebus omnibus ac præsidiis destitutos: ex quibus etiam, uti & e reliquis Christi Grex coalescit: ad quos æque pertineat cura pastoralis, atque ad eos, qui lætiori fortuna utuntur: quibus, nisi boni Præsulis succurrat humanitas, nihil magis prosit inter urbis primariæ cives recenseri, quam in extremo Regni angulo patriam sortitos esse.

Tamen quam proclive est, ut facile perstringunt oculorum aciem, quæ plurimum

ſplendoris habent in vulgus; ne, qui eo ſit conſtitutus in loco, Procerum quidem commodis ultro ſerviat, plebeculæ verò ſe impendat parcius: nobilibus viris ac florentibus aditus eſſe faciles jubeat, miſeros atque inopes ſubmoveri patiatur: in tranctandis ſpecioſis quibuſdam negotiis operam bene collocatam putet, res parvas atque obſcuras aut dedignetur, aut earum provinciam in alios rejiciat. Imo, ut erit quiſque altiſſima mente præditus, & ſuam maximis in rebus dexteritatem illuſtriſſimam fecerit: ita non levem quandoque metum affert, ne

ad infimorum ſublevandam calamitatem ex illo amplitudinis gradu non deſcendat.

Quàm alienum nacti ſumus, AUDITORES, ab eo inſtituto Præſulem : cui inter cœtera paſtoralis officii munia, primum hoc, atque inſtar omnium fuit, ut jacentes erigeret, mederetur afflictis, egentes ſublevaret ; qui provinciam ejuſmodi implevit ipſe ſemper per ſeſe : quem nemo mœrens & infortunatus aut latuit, aut facilem ac beneficum non ſenſit.

Ne dubitate, AUDITORES; tam pium, tam miſericordem NOALLIUM Pariſienſis civitas

probabit, quàm propitium; quàm bonum aut Cadurcensis, aut Catalaunensis experta est. Imo, imo eo magis munificentiæ ac bonitatis, ut ita dicam, sinum dilatabit, quo magis crescet numerus miserorum, & medendi facultas uberior suppetet.

Erigite igitur animos, ô cives, quoscumque aut calamitas temporum, aut fortunæ afflixit injuria; & in amantissimi Præsulis sollicitudine conquiescite. Non despiciet ille tenuitatem vestram, aut amicam laborantibus manum porrigere dedignabitur. Patebunt faciles aditus venienti-

bus: non erunt captanda vobis mollia fandi tempora, aut redimenda carius clientela potentioris patroni, per quem ad ipsius Præsulis gratiam & beneficia facilius obrepatis. Causam aget vestram multo fortius ac melius vestra ipsorum calamitas, quam vel aperuisse illi tantum, fuerit perorasse. Neque verò timete, ne vobis orantibus ditiorum authoritas aut favor unquam officiat: Id potius sperate futurum, ut in pari contentione, nobilis a plebeio, dives ab inope superentur.

Alius incumbit in ampla

civitate Paſtori labor non levis, alius vitandus ſcopulus: nimirum, ut varios plerumque ac difficiles populorum animos tam feliciter tractare poſſit; ut, quæ vel ad Dei majus obſequium, vel ad ſanctarum legum obſervationem, vel ad pietatis incrementum apud ſuos judicarit eſſe neceſſaria, eadem illis perſuadeat.

Hæc porro quantas in Paſtore dotes ac virtutes deſiderant. Providus ac ſagax debet eſſe; qui gentis pernoſcere indolem, præſentire mores, ſenſus deguſtare ac veluti ſubodorari poſſit. Pru-

dens, qui regere habenas, non ad arbitrium, ſed vel adducere, vel remittere pro conditione rerum ac temporum calleat. Facilis ac benignus, qui mollire animos parum dociles, mitigare aſperos, cedere prudenter impotentibus & efferatis etiam aliquando noverit. Firmus & conſtans, qui frangi ac molleſcere neſciat, ſi quando nimia indulgentia plus incommodi quàm commodi afferre videatur. Peritus denique & exercitatus, qui omnia omnibus attemperare ſuaviter, moderari opportunè, perducere feliciter ad optatum finem debeat.

Quàm hoc arduum & operosum est! Sed quid in hac quoque parte posset, documenta dedit Noallius certissima; ex quibus spem futuri non dubiam capere possimus.

Quæ sit Vasconum indoles, nemo nescit. *Ut semel icto accessit fervor capiti*, non ii dicuntur esse, quos tractare facile possis. Hanc vividam illorum indolem, acrem igneam, ita pertractavit Præsul sapientissimus; ut illam Religioni, Pietati, virtutibus omnibus servire non invitam jusserit.

Ut dissimiles contra Vasconum Catalaunenses! Illi a-

cres, fervidi, præcipites: isti mites, temperati: lentiores etiam nonnulli dictitant. Illos idem Præsul pro sua sapientia ad omne studium pietatis jam a natura propensos vehementius accendit.

Quam eidem proclive futurum est regere ac flectere Parisiensium animos quocumque volet; quibus hoc innatum est; ut, & ardorem remotiorum populorum, & vicinorum lenitatem suavissimo vinculo conjungant!

Neque verò non agnoscunt libenter illi ac reviviscere in Noallio jam sentiunt pristinum illum disciplinæ mo-

rem, cui ſub HARLÆI leniſſima comitate & humanitate facillima ſic aſſueverant; ut ſola benevolentia regerentur, ac Patrem in Præſule, velut amantiſſimi Filii, ex æquo venerarentur & amarent.

At enim quanti eſt, AUDITORES, ſuſcipere adminiſtrationem illius Civitatis, quæ non tam Imperii Gallici caput, quam orbis aliquis integer haberi poſſit: quæ Nobilitatis domicilium, ſedes Majeſtatis, ampliſſimorum [illegible] num conſeſſus, [illegible] cè, ita verè n[illegible] cæterar[illegible]

Regni totius arbitra ſit: quam reſpicere omnes, æmulari, longo vel intervallo contingere, pulchrum atque honorificum arbitrentur.

Eſt illud quidem mediocris ingenii vitium, ut ejus imbecillitas in editiori loco pateat, quæ in depreſſiori ſecura latuiſſet: neque quidquam pronum eſt magis; quàm ut parvis in rebus qui ſteterant cum laude, eoſdem in [illegible]is cadere graviter de-

[illegible]as.

[illegible]ſimum Præſulem hu-

[illegible] ſecurum præ-

[illegible] ujuſdam vis

[illegible], gravibus in

rebus dexteritas, tot eximiæ dotes ac virtutes, quarum præsidio ad summa quæque munia instructissimus accedit.

Ultimum vererer scopulum, qui meo judicio longe gravissimus est: ad quem adhærescere vel spectatissima virtus solet. Quis ille tandem, AUDITORES? Dicam. Qui nihil habet, quod a Lutetia metuat, tam ampla licet ac numerosa civitate; nihil ne tandem putatis esse, quod metuat ab Aula, quæ vicina Lutetiæ & cum ea conjuncta est? Habet hoc ferme Aula Principum, AUDITORES; ut

in ea virtuti obtrectetur maledicentius: ut ejus ingenium non ita convenire cum Pietate ac Religione prædicetur.

Præsto hunc quoque vobis metum, AUDITORES. Nihil est ab ea parte quod formidemus tibi, PRÆSUL ILLUSTRISSIME; & quia Tu talis es, & quia talis Aula modo non est, qualem ætas prior vidit. Est illa quidem sagax ad pervidendum, quid sinceram inter fucatamque virtutem intersit; sed nihil in te deprehendet, in quo sagacitatem censuramque suam exerceat. Vix illam tu quidem

nosse possis, propter constantem ac diuturnam per tot annos in tua Diœcesi assiduitatem; sed illa probè te novit, quæ populi vota ac judicium de te amplissimum suis votis ac studiis antevertit.

Jam, si providisti tam feliciter, Præsul Illustrissime, ne quid ab Aulæ censura tibi metueres; nihil est pariter, quod Aulam illam virtuti minus propitiam suspicére. Nam ubi tandem vera germanaque probitas habuit, aut sinceros magis approbatores, aut cultores magis eximios, aut patronos illustriores,

res, aut remuneratores tam magnificos?

Licebit Aulam fidenter ac impune visas; non modo adversantem tibi illam non offendes, sed suffragantem habebis, sed opitulantem, sed incitato ad optima quæque studio inflammatam. Ille, ille, quem æmulari, quem sequi ambit unum hæc Aula: ille tam cupidus promovendæ Religionis, non apud suos modo, sed etiam apud gentes exteras: quàm ultro veniet cum suo Pâstore sollicitudinis ac laboris in partem Princeps Religiosissimus; ut Urbs illa, quæ regni totius ca-

put eſt, quam fovet præ cæteris & complectitur, tantum reliquas omnes pietate ſemper ac Religione, quæ illius fuit hactenus gloria, quantum dignitate antecellat.

Fortunatum te, vel hoc nomine uno Paſtorem, NOALLI, qui neminem in toto grege, quem paſcendum habes, aut Religionis ſtudioſum magis, aut magis amantem ipſo Principe nanciſcaris! Hoc tanto auſpice, quid non aggredi, quid non adjutore tanto perficere te poſſe confidas?

Quid tibi, quæſo, veniebat in mentem, cum & Regis, & populi votis tam enixè repu-

gnares: cum delatum honorem tam cupidè refugeres? Perculit vos, AUDITORES, tam rarum animi de se modestè sentientis exemplum. Ego vero illud non dubitem affirmare: post tot egregia virtutis documenta, quæ hactenus recensuimus; post eximias privatæ ac publicæ vitæ dotes: tot miracula cœlestis sapientiæ, pietatis, fortitudinis; nullum illustrius videri quàm quod, non modo nihil fecit, ut gradum hunc dignitatis obtineret; sed, ne obtineret, nihil etiam non egit: tanto dignior illo fastigio, quanto in illo refugiendo modestior!

Quàm longum tibi, LUDOVICE, ac diuturnum cum ejus pudore certamen fuit: quàm tardè vicisti! cogendus tibi fuit; vixque illius modestiam Regis imperium, populi utilitas, nostra omnium vota superarunt.

Sensit hoc profectò Summus ipse Pontifex, qui sapientissimi Principis electionem approbans, vel invitum ac reluctantem ad Parisiensem Ecclesiam traducendum statim judicavit: non aliter agendum cum Noallio ratus, quam vetus Ecclesia cum Gregorio egerat: quem populus viri sanctitate permo-

tus, primum in Sazimorum ſedem, a Sazimorum ſede, in Nazianzenam, e Nazianzena demum, Conſtantinopolim, Regiam in Urbem votis ſuis, tanquam humeris triumphantem invexit.

Gratulemur igitur nobis, AUDITORES, qui nacti ſumus ejuſmodi Præſulem, quo neque optari a nobis, neque eligi acceptior potuiſſet: cujus & felicibus initiis ita reliquum vitæ curſum reſponſurum eſſe, certis quæ recenſui ominibus meritò confidimus; ut non modo anteacta Illuſtriſſimi Præſulis vita, ſed etiam futura ſingula-

rem in eo deligendo Regis ſapientiam demonſtret. Gratulemur & optimo Principi; cujus delectum tam publica, tam conſentiens omnium approbatio eſt conſecuta.

Fruere enim vero, Regum ſapientiſſime, fruere publico illo gaudio; quod non ementita diſſimulatio peperit, ſed nuda ſimplexque veritas expreſſit: non adulatio turpis æmulatur, ſed ingenua commendatio declarat: non cupida quædam obſequendi voluntas extorſit, ſed ſincerum de tua ſapientia, de Præſulis meritiſſimi virtute judicium cumulavit. Excipe plauſus il-

ſos, quibus dignus eligi Noalliūs; dignus tu, qui Noallium eligeres celebraris. Et dum felices nos tanto Antiſtite ultrò profitemur; liceat feliciores prædicare, qui tanto Principe gaudeamus.

Tibi vero, Præsul Illustrissime, patere ut & Principem optimum, & ſubditos regimini tuo populos viciſſim gratulemur. Nam quis Præſuli contingat unquam optatior illo Principe; qui ſuam Religionis ſtudio dignitatem, gloriam, felicitatem devoveat? Qui omnia & belli & pacis conſilia uni ſervire pietati

velit: quem in Victoria nihil æque alliciat, quàm quod armis victricibus, avita firmari ſacra ſentiat: nihil in hoſtium obſtinata perfidia magis angat, quàm quod eoſdem aris prius, quàm ſibi nefarium bellum videat indixiſſe.

Jam quos demum inter populos tibi placeas magis, aut magis te ames, quàm inter Pariſinos? Eſt aliqua uſpiam civitas quæ cives alat ad omnia virtutis ſtudia ſic a natura comparatos? Non oſtentabo tibi nobilitatem populi illius, non opes, non magnificentiam, non elegantiam

ingenii


ingenii politioris, non doctrinæ vim ſingularem, non dexteritatem in rebus agendis, non induſtriam prædicabo. Aſt ubi tandem eſt, aut indolis ſuavitas major, aut docilitas morum amabilior; aut propenſior quædam vividiorque ad omnem pietatis cultum alacritas?

Quid loquar ſancta illa Sacerdotum Collegia, in quibus priſtinum Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudium tam impensè viget? Quid varias Religioſorum familias, ſanctitate, innocentia, Religionis ardore ſpectatiſſimas? Quid ſollicitos Eccleſiarum Rectores ſin-

gularum, qui in fovenda promovendaque pietate populorum tam constanter elaborant? Quid Illustrissimum Canonicorum maxime tuorum consessum, qui tibi viros tot offert nobilitate, sapientia, eruditione, pietate & constanti cum suo Capite concordia atque admirabili consensione clarissimos? Gratulare igitur tibi Populum tuum, PRÆSUL ILLUSTRISSIME, dum te sibi universus gratulatur populus. Gratulare tibi religiosissimum Principem, dum te religiosissimo Principi tam impensè gratulamur.

Tuque præpotens Deus, Ecclesiæ tuæ moderator, & Regnorum arbiter: cujus singulari beneficio & dignum Regem Præsule, & Præsulem Rege dignum adepti sumus; fave beneficiis tuis, tantisque muneribus adde perpetuitatem. Non te hodie votorum multitudine onerabimus: unum illud, quo cætera continentur, votum omnium est; tanti Principis, tanti Præsulis incolumitas.

DIXI



APPARATUS AULÆ AD HABENDAM GRATIARUM ACTIONEM ADORNATÆ.

IN ſumma Aulæ parte viſebatur Tabella, Regem, ad quem pertinebat Gratiarum Actio, repræſentans. Tabellæ iſthæc ſubjiciebatur Inſcriptio,

DE REGNO ET DE RELIGIONE
BENE MERITÆ STIRPIS
REMUNERATORI
MAGNIFICENTISSIMO.

Quæ voces ſignificabant, Stirpem Noallicam, ſuo in Religionem & in Regnum ſtudio pro-

meruiſſe; ut hæreditariam in Nepotibus digniſſimis, ac Illuſtriſſimo potiſſimum Præſule, Avorum virtutem, ampliſſimis Rex magnificentiſſimus beneficiis muneraretur.

Geminum ab utroque latere pendens ſymbolum rem eandem exprimebat.

Alterum exhibebat Heliotropium converſum ad ſolem cum hac Iberica Epigraphe; MIRO A QUIEN ME MIRA; quæ latinis vocibus, etſi minus ſcitè, ita reddi poteſt, RESPICIO, QUI ME RESPICIT.

In altero pingebatur Solarium radiis ſolaribus illuſtratum: cum hoc lemmate item Iberico; ME MIRAN, PORQUE ME MIRAS; quod latinè ſenſum hunc habet: ME RESPICIUNT, QUIA ME RESPICIS.

Ex adverſo ſpectabatur Pictura ingens, periſtromatis in morem elaborata. Illic eminebat in medio, cuſtos Pariſienſis Eccleſiæ cœleſtis Genius; quem hinc & inde tutelares Cadurcorum & Catalaunorum, quibus præfuit Illuſtriſſimus Præſul, Genii comitabantur. Deſignabantur illi propriis urbium illarum ſcutis, quæ præferebant; unde totidem Heroïcis Symbolis Corpus, ut loquuntur, ſuppetebat.

Scutum Cadurcorum in area miniata Pontem argenteum exhibebat cum hac vocula. ILLAC TUTA VIA EST.

Scutum Catalaunorum, Crucem offerebat argenteam in area cærulea, liliatis quatuor ex auro floribus ſtipatam. Rem ſignabat hemiſtichium. MEDIA INTER LILIA SPLENDET.

Scutum Pariſiorum Navem præ-

ferebat argenteam in area miniata, cui hæc vox addebatur; IBIT SECURA PROCELLÆ. Quæ singula, quid innuant, satis in promptu est; ut per se quisque sine interprete cognoscat.

Hæc inter pendebat e summa cruce pastorali vexillulum; in quo vota populi totius his concepta voculis legebantur: SIC CRESCERE PERGAT.

Geminas, cum a dextra, tum a sinistra Aulæ facies decorabant Illustriorum ex Noallica stirpe Virorum Imagines; qui tam in Clero, quàm in inter Arma egregiam Religioni, & Patriæ, & nostris Regibus operam navavere.

IN ea quidem parte quæ ſubeuntibus in Aulam dextra eſt, & Oratori obverſa, cernebatur in medio; Imago Illuſtriſſimi Archiepiſcopi, quam ſuſtinebant ac ſtipabant, tres Aligeri, Provincias totidem, quas ille rexit, repræſentantes. Ii prout erant affecti erga Præſulem amantiſſimum, ita & habitu corporis vario, & adjectis quibuſdam vocibus loquentes pingebantur.

Qui Cadurcenſes exhibebat, dejecto vultu collacrymans, ſuum, quod ereptus ſibi tam citò Paſtor optimus fuiſſet, dolorem exprimebat hoc verſu; SI RAPERIS, QUID TE NOVISSE JUVABAT?

Qui ſpectabatur pro Catalaunenſibus; veluti raptum per auras Præſulem dilectiſſimum intueretur, non ſine admiratione atque æmulatione aliqua in has voces

exclamabat; QUO TUA TE VIRTUS?

At lætabundus e contra & plaudens sibi, qui Parisienses adumbrabat Genius, utriusque luctum ac desiderium videbatur his verbis velle compescere; ILLUM MAJORA REPOSCUNT.

Appensum hinc atque hinc, tam Paterni, quàm Materni stemmatis scutum gemini symboli materiem ministrabat.

Paternum quidem, quod in scuto miniato Tæniam auream præfert, habebat adjectam hanc vocem; NORMA AUREA RECTI. Alludens ad illam ex auro Regulam, quam ab Apolline delatam olim Atheniensibus fuisse, Poëtæ fabulantur.

Maternum verò quod in scuto coloris ejusdem, Coronidem offert auream miniato Tauro impressam, gerebat istam Epigraphen, VEL PUGNA, VEL ARA. Quæ

voces innuebant; hanc esse Noalliorum sortem; ut, dum e quinque Fratribus, Illustrissimus Præsul; & cum ipso Abbas meritissimus, in Catalaunorum Sede modò designatus à Rege Fratri successor, totos se ad Aras consecrant Religioni, tres reliqui suum inter Pugnas studium ac sanguinem Patriæ devoveant.

Tabellam Illustrissimi Præsulis in eadem parte comitabantur Imagines duæ.

In altera visebatur FRANCISCUS NOALLIUS EPISCOPUS AQUENSIS, cujus eximiam in perfungendis Legationibus difficillimis industriam, subjecta Inscriptio designabat.

SPECTATÆ
LEGATIONIBUS IN ARDUIS
DEXTERITATI.

In altera cernebatur ÆGIDIUS NOALLIUS, Francisci Frater, cui in Episcopatu & Legationibus successit. Ipsius in Religionem pariter & Regem commune cùm Fratre studium, supposita item Inscriptio declarabat.

FRATERNÆ
IN STUDIO
RELIGIONIS AC PRINCIPIS
CONCORDIÆ.

IN ea verò parte, quæ ingredientibus læva est, pendebant quatuor ex longa Heroum serie Noalliorum Imagines; qui variis temporibus Religionem & Patriam armis strenuè tutati sunt.

In prima, visebatur HUGO NOALLIUS, cujus obitam fortiter in Palestina mortem addita Inscriptio demonstrabat.

CONSIGNATÆ
IN INFIDELI SOLO
RELIGIONI.

In secunda, referebatur FRANCISCUS NOALLIUS, firmissimum Religionis difficillimis in temporibus propugnaculum: quod sequens Inscriptio significabat.

INCONCUSSÆ
GRAVIBUS
RELIGIONIS IN PERICULIS
CONSTANTIÆ.

In tertia, ſeſe offerebat ANNAS NOALLIUS, Præſulis Illuſtriſſimi Pater; cujus auream inter domeſticos Galliæ tumultus Fidem, iſtæ pro Inſcriptione voces teſtabantur.

PROBATÆ
REBUS IN DUBIIS
FIDEI.

In quarta, MARESCHALLUS Dux NOALLIUS pingebatur. Illius multiplices Laureas ac triumphos breviſſima omnium Inſcriptio prædicabat.

LAUREATÆ VIRTUTI.

Plurimi denique Lychni e cristallo tam pensiles quàm columnis hærentes singulis, longo flammarum ordine gratissimâ luce noctem adventantem expellebant.

